

VERSION LATINE

Mort de la fille d'un ami

Tristissimus haec tibi scribo Fundani nostri filia minore defuncta. Qua puella nihil umquam festiuius, amabilius nec modo longiore uita, sed prope immortalitate dignius uidi. Nondum annos XIIIII impleuerat, et iam illi anilis prudentia, matronalis grauitas erat et tamen suauitas puellaris cum uirginali uerecundia. Vt illa patris ceruicibus inhaerebat ! Vt nos amicos paternos et amanter et modeste complectebatur ! Vt nutrices, ut paedagogos, ut praeceptratores pro suo quemque officio diligebat ! Quam studiose, quam intellegenter lectitabat ! Vt parce custoditeque ludebat ! Qua illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia nouissimam ualetudinem tulit ! Medicis obsequebatur, sororem, patrem adhortabatur ipsamque se destitutam corporis uiribus uigore animi sustinebat. Durauit hic illi usque ad extremum, nec aut spatio ualetudinis aut metu mortis infractus est, quo plures grauioresque nobis causas relinqueret et desiderii et doloris. O triste plane acerbumque funus ! O morte ipsa mortis tempus indignius ! Iam destinata erat egregio iuueni, iam electus nuptiarum dies, iam nos uocati. Quod gaudium quo maerore mutatum est ! Non possum exprimere uerbis quantum animo uulnus acceperim, cum audiui Fundanum ipsum, ut multa luctuosa dolor inuenit, praecipientem, quod in uestes, margarita, gemmas fuerat erogaturus, hoc in tus et unguenta et odores impenderetur. Est quidem ille eruditus et sapiens, ut qui se ab ineunte aetate altioribus studiis artibusque dediderit ; sed nunc omnia quae audiit saepe, quae dixit aspernatur expulsisque uirtutibus aliis pietatis est totus. Ignoscet, laudabis etiam, si cogitaueris quid amiserit. Amisit enim filiam quae non minus mores eius quam os uultumque referebat totumque patrem mira similitudine exscripserat.

Pline le Jeune, *Lettres*